

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici  
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Promoemivm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12704**

S O C R A T I S  
S C H O L A S T I C I H I-  
S T O R I A E E C C L E-  
S I A S T I C A E,  
Liber Quintus.

P R O O E M I V M .



Ntequam ad res gestas narrandas, quas sumus quinto libro prosecuturi, ingrediamur, eos qui hoc opus fortè perlegerint, admonitos volumus, ne nobis vitio vertant, quod cù sit solum propositum historiam ecclesiasticam literis mandare, bella etiam varijs administrata téporibus, (quantum nobis data est facultas res in illis gestas verè cognoscendi) eidem admiscuimus. Istud enim à nobis multis de causis factitatum est. Primum vt res in bellis conjectæ ad posteritatis notitiam veniant: deinde ne lectores, si eorū animi inter legendum semper in temporum contentionē confyderanda, & incommodis que vltro citroque alias contra alium moliti sunt, occupati teneantur: fastidium capiant: maximè autem omnium, vt intelligatur, qua ratione cum Resp. turbulentis motibus iactaretur, ecclesiæ etiam status eiusdem quasi morbi contagione infectus, vehementer cōturbatus fuerit. Nam si quis diligenter obseruare notareq; voluerit, eisdem temporum articulis & Remp. fluctibus calamitatum, & ecclesiā rerum aduersarum procellis agitatā pro certo comperiet. Aut enim eodem momento vtramq; rebus incōmodis perturbatam suis inuenerit, aut miserias alterius, alterius infortunia proximè infecutas: & nonnunq; tumultus Ecclesiarum antegressos, Reip. autem commotiones consecutas, interdum omnino è contrariō: adeò vt facile adducar ad credendum istarum rerum vicissitudinem non ex aliquocasu fortuito, sed ex nostris peccatis initia cepisse, nobisq; supplicii causa tanta incommoda inficta esse: siue vt ēt apud Apostolum, vti quorundam hominum peccata

peccata manifesta sint, praecedentia ad iudicium, quosdam <sup>1. Tim. 5.</sup>  
autem & subsequentur. His de causis in hanc historiam ec-  
clesiasticam nonnullas res etiam in Rep. procuranda gestas  
inclusimus. Et quanquam res Constantini temporibus in bel-  
lo administratas, propter longinquum præteriti téporis spa-  
cium inuenire non poteramus, tamé eas, quas postea iam ab  
his, qui ad hoc vsque tempus vitâ propagarint, accepimus,  
in transcurso nostri sermonis sumus complexi. Passimq; in <sup>Plin. 1.</sup>  
historia Imperatorum mentionem propterea fecimus, quod  
ex illo tempore, quo Christiani esse cœperunt, ecclesiæ ne-  
gocia, ex illorum nutu pendere visa sunt: atq; adeo maxima  
concilia de eorundem sententia & conuocata fuerunt, &  
adhuic conuocantur. Quinetiam Gentilis cultus supersti-  
tionisq; propterea meminimus, quod tranquillum ecclesiæ  
statum magnopere perturbauit. Atque hæc quidam pro-  
mij loco dixisse sat est. Iam verò historiam aggrediamur.

*Quod post Valētis interitum, cū Gotthi contra Con-  
stantinopolim arma ferrent, ciuitas obuiam exi-  
uit, paucis Sarracenis fœderatis à Mauia missis,  
suppetias illis ferentibus.*

CAP. I.

**V**BI Imperator Valens mortem (quaratione omnino  
incertum est) oppetierat, Barbari denuo ad mœnia  
Constantinopolis aduentare, illiusq; suburbia vastare  
cœperunt. Vnde populus grauiter commotus, sua sponte  
Barbaris resistere, singuli, quod obuium erat, armorum loco  
arripere. Imperatoris coniunx dominica omnibus, qui ad  
bellum egrediebantur, mercedem ex ærario Imperatorio, si-  
cū militibus decretum fuit, suppeditare. Aliquot etiam è  
Saracenis fœderatis à Mauia, cuius supra fecimus mentio-  
nen, missi, opem illis ferre. Ad hunc modum itaque cum  
populus prælium cōmisisset, Barbari longe ab vrbe pedem  
retulere.

*Quod Gratianus Imperator orthodoxis Episcopis ab  
exilio revocatis, hæreticos ab ecclesiis exegit, ac  
eodem tempore Theodorum socium imperii coop-  
ravit.*

CAP. II.

Gratia-